Clarissimo Domino Antonio Niedzielski Medicinae et Chirurgiae Doctori, Sebastianus Girtler qua Promotor in signum propensionis suae.

Die 5 Maji 1819 Cracoviæ.

Clarissime neo-create Doctor!

Placuit Inclytæ Facultati Medicæ, me Tui Promotorem constituere, vocationem eandem lubentissime suscepi. jucundum mihi siquidem est, ut qui hic loci natalis sum, Te Cracoviensem, te Concivem meum, qua Promotor, primus etiam Doctorem renuntiarem, primus Collegam nostrum appellarem, hocque nomine salutarem.

Ast non illud solum est et fuerat mihi propositum, majoris certe momenti est id, ut pro Animo in Te meo, brevibus Te alloquerer, paucisque adhuc commonerem, ac dein Tibi voverem verbis.

Finisti tandem præscriptos Legibus Cursus, ut Lauream Doctrinæ, gradumque Doctoris assequi par esses. Sed præeunte duntaxat Professore, observabas adusque tractatos, tractabasque morbos, nunc autem ipse tanquam creatus Doctor, tuendæ ac curandæ valetudinis et sanitatis humanæ, amplissimam suscipies moderandam Provinciam. Memor illorum Ducis Nostri Hippocratis verborum. "Vita brevis, ars vero longa, occasio præceps,

ceps, experimentum periculosum, judicium difficile. Oportet autem non solum se ipsum præstare opportuna facientem sed et ægrum et assidentes et externa „ intelligis ipse bene mecum, quibus cum difficultatibus luctandum, quot et quales adversas circumstantias, devincendas, debellandas, quas persæpe conturbationes perferendas, habebis. Audivisti multas dari posse circumstantias, in quibus Consilium ex arena capiendum veniet. Non Te latet libros sæpissime adeundos fore, ut ea ratione ab Illorum Authoribus et scriptoribus, opportunum præsto esset consilium. Lecturam ergo librorum assiduam Tibi omnino commendandam haberem. Ast monere Te idcirco, nec minime necessarium censeo, laudabilia enim hac ex parte, dedisti nobis in diem argumenta. Nota ac in aperto est Inclytæ Facultati Medicæ, Tua in Litteraturam propensio, Tua in legendis, scrutandisque libris diligentia et assiduitas, qua omnes superasti temporis difficultates, ut exoptatum assequi finem, veramque et honorificam laborum coronam nancisci queas. Qui hic loci, ediscendæ Artis salutaris ergo, omnem pro posse, curam, impendere non vacasti, certo certius, credo, illuc desidii vel temeritatis non pervenies, ut jam in Tuam scientiam fidem ponens, libros adire prætermiseris. Semper adhuc nova, semper adhuc necessaria ad ediscendum invenies.

Obve-

Obvenient Tibi tandem in Praxi Medica et aliæ adhuc etiam circumstantiæ, in quibus cum Judice et Foro, agendi dabitur occasio, atque opportunitas. A Tua nunc Doctrina, a Tua Virtute, en ecce dependebit, Familiarum pax et tranquillitas vel et sors, quandoque autem et vita vel mors hominum in vado erit. O! quam circumspectum ad omnia Te esse opportebit! quanta cum reflexione, probitate et integritate procedendum Tibi erit? quam mature et in virtute Doctrinæ Judicium ferendum, Sententiaque et Opinio Judici exhibenda veniet, videas. animadvertas, intelligas, credasque simul, quod hic Tuæ Doctrinæ, Tuæ scientiæ, Tuæ Honestatis, Tuæ Virtutis, faciendum habebis periculum. Credo tamen fore, post tot data nobis bonorum morum, rectique Judicii et ingenii specimina, Te nec unquam ab his vacaturum, Te nec aliquando, hæc pauca, quibus Te, nunc commonui, verba, oblivioni daturum.

Essent et alia bene multa, hic commemoranda, sed unum adhuc præcipue est, cujus ergo, ut brevissimum ad Te instituerem sermonem, in animo mihi est. Spopondisti nempe Te diviti æque ac pauperi opem laturum, memineris quæso, ne os tuum cum animo et corde hæsitâsse videretur. Memineris Te, humanitati hac sponsione fidem fecisse, Studium humanitati, Virtutis sequela est. Tristis utique est cujuscumque ægri sta-

tus

tus et humanitate dignus, sed deterior longe et jam non solum humanitate, sed et misericordia digna est conditio ægri, dum inopia, morbi socium agit. Medicus ergo, pro conscientia, pro humanitate, pro honestate, pauperibus auxilium recusare non debet. Cui enim in Auro nisi Deus est, hic omnino misericordiæ valedicit, opibusque Studiosus vix parum quandoque ad opem egesti ferendam permoveri valet.

Restat mihi deinceps operis, ut Tibi brevissime licet, propensionem, meam meumque in Te animum comprobarem. Gratulor Tibi itaque hanc quam nunc obtinuisti honoris palmam, tanquam diligentiæ et assiduitatis Trophæum, hanc Lauream Doctrinæ Tuæ, hanc Virtutis Coronam. Gratulor Tibi hunc quem nunc assecutus es Medicinæ et Chirurgiæ Doctoris gradum, ad quem Labor, Virtus et Constantia Te evexit, in quo Commilitonibus Tuis comprobasti, hanc esse tutissimam ad honores, bonamque famam et sortem viam.

Hac sequere in toto Vitæ Tuæ ulterioris curriculo, iter, sic procedas, ibisque tutus, felix, faustus ac Incolumis. Hæc Tibi dent Numina, faxint, cordicitus meo, totiusque Inclytæ Facultatis nomine, voveo.